



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 5. Præscribenda intemperantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

§. 4. *Præscribenda Detraкторibus, & Calumniatoribus.*

1. PRÆter generalia, quæ tempore dilatae Ab-  
solutionis quibuslibet sunt utilia, illis, qui  
aliis falsò imposuerunt, injungendum, ut im-  
posturam retractent, eo scilicet modo, quo &  
publico (si indè nocumentum acceperit) & huic  
personæ speciali restituant, quidquid per im-  
posturam ablatum est. Hinc impostura facta  
apud paucos sæpè insufficienter retractatur apud  
illos solos, apud quos immediatè facta est; & quæ  
propagata est per libellos, insufficienter retractas-  
tur vivâ voce.

2. Pro hac restitutione debet Confessarius  
sæpè magis esse sollicitus, quàm pro restitutione  
summæ notabilis furto ablatae, cum illa ob no-  
cumenti magnitudinem sæpè sit magis arcta,  
& ob propagationis periculum sit ordinariè  
magis festina.

3. Inquirendum, quæ fuerunt imposturæ istius  
radices, sive originales affectus, ut, illis de-  
prehensis, injungantur remedia, quibus fiat,  
ut ab ipsis affectibus cessetur, & ut pro illis con-  
trarii affectus induantur.

§. 5. *Præscribenda intemperantibus.*

1. INTemperantibus injungi potest, ut caveant  
immoderationem cibi, & potûs, item ut  
paulatim, & pedetentim addiscant etiam absti-  
nere ab his infra moderationem, ut quibusdama

speciebus cibi, aut potûs, quæ magis exstiterunt intemperantiæ materia, aut in quas major propensio, vicibus aliquot, aut tempore definiendo, vel omninò non utantur, vel minùs utantur. Et hæc quidem veluti, non modò ad satisfactionem, sed etiam ad curationem, & præservationem conducunt, magis tamen juvant, quæ opponuntur contrariè, putà quæ gustum non tam delicatè afficiunt, in quibus tamen cavendum absolutè, ne sanitatem lædant, aut aliàs non congruant.

2. Præscribenda etiam, quæ dictarum intemperantiarum occasionibus opponuntur. Occasiones esse possunt convivias, certa loca, V. G. frequentare popinas, conversari cum intemperantibus, extra tempus refectionum cibum, vel potum sumere in quantitate, otio, melancholiâ, acediâ, aut tetrâ curis animum gravare.

3. Utî his contradictoriè opponitur illorum omissio, ita contrariè, pro conviviis, personis intemperantibus, officia Divina, personas pietati, ac specialiter sobrietati deditas frequentare: otio autem, & commestationibus contraria sunt, eorum tempora statûs, & officii functionibus, ac quibusvis pietatis exercitiis impendere, & specialiter intemperantiæ mala, bonis temperantiæ, & tempus æternitati comparare, ac hominis novissima sedulò expendere, melancholiæ, acediæ, & tetrâ animi curis, studium orationis, bonæ conscientiæ, & promptissimæ submissionis erga Divinam providentiam opponendum est.